

quidam sanguinis, & si frágitur, in medio appetet A pituita viscida, alba, glutinosa: arenulas etiā excrenit, & eas semper fuluas, nunquam albas. Hæc igitur sunt symptomata ardor vrinæ, difficultas vri- nandi, dolor, vrina nigra in equitando, præterea sepe expellit materias pituitosas, crassas, quibus excretis liberatur, & immissa fistula sensit leuan- mē, & postea bene exiuit pituita & vrina. Et plu- rimis annis infestauit eum hoc malum, ab anno 5. ad annum 16. Profert causas procatarcticas, va- riolas & scabiē male curatas. De difficultate con- siderabimus. Nos adhuc sumus in symptomati- bus. Est autem difficultas maxima in difficultate vrinæ, quia omnes Moderni & Auic. obscūrē ad- modum loquuntur, & contrariari sibi videntur: quare diligentius consideremus istam. Sunt tria principia. Primum vrinæ, retentio vrinæ; secundum vrinæ, stillicidium vrinæ. In istis tribus confun- duntur omnes Moderni. Gal. 7. Part. Aph. 48. de- clarat quid sit stillicidium vrinæ, quando non est impedita via vrinæ, sed semper guttatum destillat vrina, & non potest aggregari quantitas vrinæ no- tatu digna, & id vel ob imbecillitatem vesicae, vel acrimoniam vrinæ. Dysuria difficultas mingēdi, est quasi genus, quia stat cum ischuria & strangu- ria, quare ab omnibus similibus causis potest etiā fieri. Dysuria non est nomē speciale, sed generis, & hoc est notandum. Ischuria, quando penitus supprimitur vrina, 6. de caus. sympt. circa fineim: aut si non omnino, est certè retentio pro modo D obstructionis: nam habet gradus, quandoq; reti- netur magis, quandoq; minus. Et fit vel propter vitium in instrumentis, uel in ipsa virtute (credo quod iste iuuensis non patitur stranguriam, sed ischuriā & retentionem vrinæ non omnimoda, quia mingit secundum aliquam partē.) Est ischu- ria in hoc iuuene. Sed quæ sunt causæ? Dicebam vel fit vitio virtutis, vel instrumenti, vitio vir- turis expulsive, quæ est ita debilis, vt non possit expellere propter ægritudines præcedentes, vel E ob retentionem vrinæ, quæ est ita valida, vt vali- dè retinere possit. Si in vesica fit, vel quod ea vr- get ex nimia copia vrinæ, vt non possit se contra- here, uel quia fit torpidus sensus in vesica, vt non possit sentire acrimoniam, uel quia debilitatum est cerebrum, sicut dicit Auicenna. Sed vtrum sit verum nescio, mihi non satisfacit conjectura. Po- test esse vitium in adiacentibus, quando renes non transiunt aquositatē, vel quando non attrahunt. Vel igitur est in corpore vesicæ vitium, F vel in collo. In corpore vesicæ non appetet insen- sibilitas talis, nec repletio, sic nec in collo, aut in musculis. Non enim est in musculis impedimen- tum, quia si resoluti essent musculi, exitus inuo- luntarius esset, sed liberè quandoq; mingit. Nec in meatu vt clausio sit ratione apostematis, vel ex nimia siccitate. Hęc omnia h̄ic non apparent, nec ex obstrukione vt lapide, grumo sanguinis, vel pituita crassa, vel carne. In isto non est vitium in corpore vesicæ, non in musculis, nec in meatu, G nec ratione clausionis propter apostema vel siccitatem. Relinquitur igitur vt sit obstrucción quæ est vel à grumo, vel pituita, vel carne addita & cal-

lo. Si ex carne addita esset, perpetua ista esset ob- structio: sed non est, est igitur vel grumus, vel pus, vel pituita lenta, vel lapis. Vtrum sit lapis? Est difficultas h̄ic, licet explorauit chirurgus de Leonico, certè lapis paruus non potest facilè cū fistula explorari & tangi. Quod sit lapis, argu- mentum est, percipit enim dolorem in istis parti- bus cum mouetur, quia agitatur lapis, exasperat & subito occurrit, & facit vrinæ sanguinolentas, arenulæ apparent paruæ, potest ex mora sanguini- nis ita decolorari & fieri nigra vrina, quia quandoque est rubra, quare suspicio magna est de la- pide. De grumo non est dubium, quia exiit, & perpetuò cum pituita. Causa difficultatis vrinæ istius est principalis humor crassus, pituitosus, sal- sus, obstruens. Est manifestum ex vrina, quæ est alba perpetuò, & sedimentum satis insigne humo- ris crudi, præterea semper sequitur pituita excreta, & postea cessat difficultas vrinæ ipsa expulsa. Est & hoc manifestissimum. Quandoque etiam est grumus sanguinis, quia eum exire vide- mus: possunt enim simul esse ista duo. Sed dif- ficultas quæ est in sola conjectura apud me, vtrū sit etiam lapis qui obstruat, non possum affirma- re, nec negare prorsus.

Hactenus ostendimus, h̄ic adesse retentionem vrinæ, non absolutè, eamq; propter obstructio- nem. Causam huius, humorem crassum, & gru- mos, & fortasse etiam lapillum, & ista pituita que vltimo exit, quia lenta est, & eget multa abstergio- ne per vrinam.

Quantum ad reliqua symptomata, pus quandoque exit, & vbi est pus, ibi solutio continui fe- re semper est, & non mirum h̄ic, cum sit grumus sanguinis, est facta solutio continui in venis per abrasione, sanguis apparet extra venas in sanie vertitur & putreficit, dicit Hippoc. 2. Progno. Qua- re pus nō ostendit vclus esse ibi, sed quia abrasio- ne factam esse credo in venis, & exiisse sanguinem & commutatum in sanie. Potest enim esse sanies, & non vclus.

De ardore vrinæ, non mirum, quia pituita talis est falsa, quare facit ardorem. Est enim vel ob vri- nam acrem, vel ob defectum humiditatis viscosæ contentæ in glandulis circa pudibunda. Non est verisimile in isto iuuene propter siccitatem, quia est tēperatus sanguis. Est igitur propter acrimo- niam bilis aut pituitæ. Non bilis, quia vrina non est citrina: ergo ob pituitæ acrimoniam.

De renib. conqueritur etiam, vrina appetet ni- gra, quandoq; ex motionib. validis. Credo quod pituita ista reddatur mordax, falsa & acris ex mo- tu & laboribus & erodit, abradit, & aperit venas, quare exit sanguis, qui propter moram ita niger fit. Vnde generatur ista pituita, quia circa istam versatur cardo curæ, & quæ est causa eius? Duo sunt consideranda, 1. quod membra diuersimodo sunt generata, alia fortia, alia debilia, sed debilia semper recipiunt superfluitates. Nō est dubium, quin in isto iuuene vesica sit debilissima, quia à quinto anno usque ad decimumseximum annum semper excremata sunt transmissa ad vesicā, qua- re ibi fuit imbecillitas naturalis, & sic intēperies, nimirum frigiditas, quia tēre semper ob frigidita-

*Vrina diffi-
cultatis
causa.*

*Pus in hoc
casu quid
indicit.*

Ardor vrinæ